

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Suffragium a
cum fonte primo

Sunt quos
nichil adiuuant omnino
ea que fiunt pro mortuis
siue pro eis fiant quorum tam mala sunt
merita ut nec talibus digni sint adiuuari,
siue pro eis quorum tam bona ut talibus
non indigeant adiuuentis. Genere igitur
uite quod gessit quisque per corpus
efficitur ut prosint uel non prosint
quecunque pro eis fiunt pie cum
reliquerit corpus. Nam meritum
si nullum per quod ista prosunt,
comparatum est in hac uita, frustra post
hanc uitam queritur.

Augustinus in libro de cura pro mortuis
agenda.

sunt enim, quos
nichil omnino adiuuant
ista,
siue pro eis fiant, quorum tam mala sunt
merita, ut nec talibus digni sint adiuuari,
siue pro eis, quorum tam bona, ut talibus
non indigeant adiuuentis. genere igitur
uitae, quod gessit quisque per corpus,
efficitur, ut prosint uel non prosint,
quaecumque pro illo pie fiunt, cum
reliquerit corpus. nam meritum
per quod ista prosunt, si nullum
comparatum est in hac uita, frustra post
hanc quaeritur uitam.

Augustinus Hipponensis, *De cura pro
mortuis gerenda*, 1, 2 (CSEL 41, J.
Zycha ed., pp.622-3, ll.21, 1-8).